

secunda,

Secunda conditio est hæc *quod illum ponimus sapientem, qui est potens ex virtute sui intellectus cognoscere difficilia* (1), et consequenter sapientia in rebus difficilioribus et a sensu remotioribus versetur. «Nam ea cognoscere, quæ omnibus sunt obvia, quaque sensibus percipiuntur, non ad sapientes, sed ad quoscumque vulgares homines spectat. Hæc autem conditio intelligenda videtur de cognitione rerum difficiliorum, quanta homini possibilis est, non enim spectat ad hominis sapientiam altiora se quærere, et quæ lumine naturali cognosci non possint, quales sunt futurorum contingentium eventus et similia, quæ per humanam scientiam velle cognoscere, non sapientia est, sed temeritas» (2).

tertia,

Tertia conditio est, *quod nos dicimus illum sapientem esse, qui de bis, quæ scit, habet certitudinem magis quam alii communiter habent* (3). «Sub qua conditione etiam evidentia et claritas comprehenditur, quia naturalis certitudo, de qua sermo est, ex evidentia nascitur, eique commensuratur. Ratio autem perspicua hujus conditionis est, quia sapientia significat perfectam scientiam, et eximiam cognitionem; maxima autem perfectio cognitionis humanæ in certitudine et evidentia posita est» (4).

quarta,

Quarta conditio est, *quod illum diximus magis sapientem in omni scientia, qui potest assignare causas cujuslibet quesiti, et per hoc docere* (5). «Hoc ipsum significaverat Aristoteles, cap. I dicens, signum sapientis esse posse docere, et ad sapientem pertinere causas rerum cognoscere ac tradere. Item in unaquaque arte vel scientia illum sapientiorem existimamus, qui rerum causas intimius et universalius comprehendit. Denique humana cognitio tum perfectior est, cum causam assequitur, alioquin semper est imperfecta; cujus signum est, quia inquirentis animus non quiescit, donec causam inveniatur; igitur sapientia simpliciter illa erit, quæ rerum causas altiores

(1) S. Thom. ex Arist., libr. 1.^o *Metaph.*, lect. 2. Deinde cum dicit: *Postea difficilia*.

(2) Suar. disp. *Metaphysic.* 1, sect. 5. n. 9.

(3) S. Thom. ex Arist., loc. cit., lect. 2.

(4) Suar., loc. cit., n. 10.

(5) S. Thom. ex Aristot., loc. cit., lect. 2.

et universaliores assequitur, unde etiam fiet, ut aptior sit ad docendum» (1).

quinta,

Quinta conditio est: *Quod illa de numero scientiarum sapientia est, quæ per se est elegibilis et voluntaria, id est, voluta gratia scientiæ, et propter ipsum scire, quam illa scientia, quæ est causa quoruncumque aliorum contingentium, quæ possunt ex scientia generari: cujusmodi est necessitas vitæ, delectatio et bujusmodi alia* (2).

Et ratio est, quia quod per se appetatur aliquid, ad ejus dignitatem pertinet, ut per se constat. «Cum ergo sapientia dignitatem quamdam et excellentiam inter scientias obtineat, non est dubium, quin in eo genere scientiarum collocanda sit, quæ propter ipsum scire quæruntur, et quod in eo habeat supremum quemdam et excellentem gradum, atque adeo quod propter se sit maxime appetibilis» (3).

sexta,

Sexta conditio demum est, quod sapientiæ proprium est, præesse aliis scientiis, potius quam eis ministrare vel famulari. *Quod quidem ex præbilitate intelligi potest. Nam in artibus mechanicis famulantes sunt illæ, quæ assequuntur manu operando præcepta superiorum artificum, quos supra architectores et sapientes nominavit (Philosophus). Et quod magis conveniat ratio sapientiæ scientiis imperantibus, quam famulantibus, probat (Aristoteles) per duo. Primo, quia scientiæ famulantes ordinantur a superioribus scientiis. Artes enim famulantes ordinantur in finem superioris artis, sicut ars equestris ad finem militaris. Sed sapientem secundum omnium opinionem non decet ordinari ab alio, sed ipsum potius alios ordinare.*

Item inferiores architectores, persuadentur a superioribus, in quantum credunt superioribus artificibus circa operanda vel fienda. Credit enim navifactor gubernatori docenti, qualis debeat esse forma navis. Sapienti autem non convenit, ut ab alio persuadeatur, sed quod ipse aliis persuadeat suam scientiam (4).

Istæ igitur sunt tales opiniones, quas homines accipiunt de sapientia et sapiente. Ex quibus omnibus potest quadam sapien-

(1) Suarez, loc. cit., n. 11.

(2) S. Thom. ex Aristot., loc. cit.

(3) Suarez, loc. cit., n. 12.

(4) S. Thom., loc. cit.

tia descriptio formari, ut ille sapiens dicatur, qui scit omnia etiam difficilia, per certitudinem et causam, ipsum scire propter se quærens, alios ordinans et persuadens (1).

Probatur definitio sapientiam.

Quod si hæc ex communi hominum sententia conveniunt sapienti, sequitur sapientiam esse formam ob quam huiusmodi conditiones in sapiente reperiuntur, ac proinde recte sapientiam a nobis definitam esse scientiam, quæ altissimas rerum causas considerat. Qui enim huiusmodi scientia ornatus est, profecto scit quodammodo omnia, etiam difficilia, per certitudinem et causam, ipsum scire propter se quærit, alios ordinans et persuadens; et e converso nemini hæc omnia simul conveniunt, nisi scientiam rerum per altissimas causas possideat.

Discrimen sapientiam ab intellectu principiorum et scientia.

Quæ cum ita sint, patet discrimen inter *intellectum principiorum, sapientiam et scientiam*. Intellectus distinguitur ab aliis duobus habitibus intellectualibus, quia assensus illius discursivus non est, sed immediatus. Sapientia vero distinguitur a scientia in stricto sensu, in quo eam nunc sumimus, quia illa considerat altissimas omnium causas; ad rationem autem scientiæ id non requiritur.

ARTICULUS III.

Quid sit ars.

Complementum doctrinæ postulat, ut post definitionem scientiæ sapientiæque, artis etiam naturam, quæ cum illis non parvam habet affinitatem, declarandam assumamus. Sed prius explicanda magis est divisio scientiæ vel cognitionis in *speculativam et practicam*: quæ tractatio, licet alibi tamquam in sede propria collocanda esset, præmitti nunc debet utpote necessaria ad nonnullas quæstiones.

§ I.—COGNITIO SPECULATIVA ET PRACTICA.

Quid scientia speculativa, et quid practica.

253. Cognition vel scientia speculativa est illa, quæ pro fine habet contemplationem veritatis; practica vero, quæ ad opus ordinatur, *praxis* enim, unde *practicum* derivatur, idem

(1) Id. *ibid.*

valet atque opus. Et quamvis in strictissima vocis acceptione omnis cognitio est practica, quatenus aliquid operatur producendo nempe habitum, et omnis etiam cognitio est speculativa seu veritatis contemplativa, quandoquidem cognitio essentialiter consistit in repræsentatione objecti, ac proinde in aliqua speculatione vel contemplatione; nihilominus usu sapientium effectum est, ut sola cognitio, quæ regulat operationem, practica vocetur, quæ vero solum intendit notitiam veritatis, speculativa. «Ad cuius differentiæ declarationem. est notandum intellectum nostrum circa duo versari, primo quidem circa cognitionem rerum tam externarum, quam proprie etiam naturæ, secundo circa generationes proprias, inter quas aliæ sunt in potestate hominis, quoad usum et exercitium atque etiam quoad rectitudinem et pravitatem, aliæ vero fiunt necessario, quæ proinde in potestate hominis non existunt. Circa priores autem operationes dupliciter potest intellectus versari, aut cognoscendo illas secundum entitates suas naturales, aut regulando constituendoque in illis modum, quo optime fiant. Quando ergo intellectus noster versatur circa rem quamlibet sibi extrinsecam vel intrinsecam, cognoscendo tantum naturam et proprietates illius, ea cognitio speculativa est: quando vero circa operationem hominis ipsius regulando ponendoque illi modum, talis actio erit communiter practica. Quapropter cognitio speculativa vindicat pro materia proxima, circa quam versatur, rem cognitam; pro fine autem ipsam veritatem, quæ de re illa potest demonstrari. At vero cognitio practica pro materia et objecto sortitur operationem humanam, et pro fine rectitudinem illius, et ut ita dicam, regulationem in facto esse... Et hæc de causa intellectus practicus rem considerat ut operabilem, quia nimirum immediate considerat operationes hominis ac res alias, ut sub talibus cadunt operationibus» (1).

254. Differunt ergo scientia vel cognitio speculativa et practica: a) fine, nam, docente Aristotele (2), *finis speculativa est veritas, hoc enim est quod intendit, scilicet veritatis cognitionem; sed finis practica est opus. Quia etsi practici, hoc*

Discrimina inter scientiam speculativam et practicam: primum ex fine.

(1) Suar., *de Anim.*, lib. 4 cap. 9. n. 1.

(2) Lib. 2 *Metaph.*, cap. 1.

est operativi, intendant cognoscere veritatem, quomodo se habeat in aliquibus rebus, non tamen quaerunt eam ut ultimum finem. Non enim considerant causam veritatis secundum se et propter se, sed ordinando ad finem operationis sive applicando ad aliquod determinatum particulare et ad aliquod determinatum tempus (1). Quare communiter dici solet scientiam speculativam, esse gratia sui, et quaerere scire propter ipsum scire; practicam vero esse gratia operis, et quaerere scire propter utilitatem operis (2).

Hic autem probe nota, quando docemus scientiam speculativam et practicam fine differre, id intelligendum esse de fine ipsius scientiae, non vero de fine scientis, per se loquendo. Neque enim finis scientis variare potest rationem practici vel speculativi. «Sic scientia, qua cognoscitur Deus cum attributis ipsius, speculativa est, quantumlibet ipse sciens finem aliquem extrinsecum per illam sibi proponat acquirendum. Alioquin vana foret divisio scientiarum in practicas et speculativas, nam quaelibet posset practica evadere aut speculativa juxta placitum addiscentis, quod est ridiculum. Ac ratio a priori est, quia habitus practicus dicitur, eo quod directivus sit operationis; quod vero actu non dirigat per directionem et intentionem addiscentis, per accidens est, nec illius mutat naturam: sicut regula semper talis est, quamvis ad regulandam non applicetur. Ita Cajetanus (3), Ferrariensis (4) et Soto (5). Fatemur tamen finem scientis modum mutare in acquisitione scientiae, operationemque et habitum practicum reddere non quidem per se, sed quasi per accidens et occasionaliter. Veluti si quis acquirat scientiam de re operabili non animo operandi, sed cognoscendi naturam illius, procedit quidem, ex accidenti, speculativo modo; qui vero addiscit animo operandi, procedit practico. Atque

(1) S. Thom., 2.^o *Metaphys.*, lect. 2. post init.

(2) Vide Aristot., libr. 1 *Metaph.*, cap. 1.^o, libr. 3.^o *de Anim.*, text. 49; S. Thom., libr. 1 *Metaphysicor.*, sect. 1.^o n. 2; 1 p. q. 14. art. 16; libr. 3.^o *de Anim.*, lect. 15; *de Verit.*, quaest. 3. art. 3. Cfr. Lossada, *Logica*, tract. 1, disp. 1, cap. 9, n. 3.

(3) In 1. p. q. 14, a. 16.

(4) In libr. 3.^o *contr. Gent.*, cap. 20.

(5) In quaest. 4 *proemial. in Logicam*.

adeo cognitio haec practica erit, illa speculativa; quod quidem ex fine scientis ortum habuit, occasionaliter tamen id habent ex intrinseco modo procedendi. Et ita est intelligendus S. Thomas (1). Si tamen quis non variaret modum acquirendi scientiam, quamvis variaret propositum et finem suum, ratio scientiae non mutaretur. Et ita per se loquendo finis scientis non variat rationem habitus practici vel speculativi (2).

3) Ex hac differentia colligitur altera. Nempe scientia practica respicit rem operabilem et modo operabili; speculativa vero aut non respicit rem operabilem, aut si quidem habeat pro objecto rem operabilem, non illam respicit modo operabili.

Primum patet, quia quomodo potest scientia habere pro fine proximum seu operationem, nisi terminetur ad objectum operabile? aut quomodo scientia potest esse utilis et conducentis ad operationem vel regulatrix operationis, nisi respiciat objectum operabile modo operabili?

Unde consequenter innotescit secundum. Hoc est, quod alii docent speculativam et practicam scientiam discrepare *objecto formali*. Nam licet utraque possit idemmet objectum materiale respicere, at non formale, nempe quia illud respiciunt diverso modo, altera modo operabili, altera modo non operabili.

Ubi probe nota, scientiam practicam debere respicere rem, non quomodocumque operabilem, sed operabilem ab ipso sciente (3). Impossibile est enim scientiam esse regulativam operis, nisi opus sit factibile ab ipso, qui scientia illa ornatur. Tota haec doctrina est S. Thome: *Aliqua cognitio practica dicitur ex ordine ad opus: quod quidem contingit du-*

secundum,
ex modo
respicendi
objectum, vel
ex objecto
formali.

(1) In 1. part. q. 14, a. 16; q. 79, art. 11. Cfr. *de Veritate*, q. 3, a. 3; et q. 2, a. 8.

(2) Suarez, *de Anim.*, libr. 4, cap. 9, n. 3. Cfr. Conimbr., *Dialect.*, quaest. 4 *proxim.*, art. 2, in med., et Domin. Sotus, *Logica*, quaest. 4, *proem.*; Joann. a S. Thom., *Log.*, 2.^a part. q. 1.

(3) Intellige sive proxime sive remote, et saltem *per se*, licet *per accidens*, ob aliquod impedimentum, non possit scientiam actu dirigere ad opus. Sicut enim pictor amittat oculos aut manum, non propterea desinit ejus cognitio esse practica.

pliciter, quandoque in actu, quando scilicet ad aliquod actu ordinatur, sicut artifex præconcepta forma proponit illam in materiam inducere: et tunc est actu practica cognitio et cognitionis forma. Quandoque vero est quidem ordinabilis cognitio ad actum, non tamen actu ordinatur (intellige de fine subjectivo artificis); sicut cum artifex excogitat formam artificis et scit per modum operandi, non tamen operari intendit: et certum est, quod est practica habitu vel virtute, non actu. Quando vero nullo modo est ad actum ordinabilis cognitio, tunc est semper speculativa, quod etiam dupliciter contingit: uno modo quando cognitio est de rebus illis, quæ non sunt natæ produci per scientiam cognoscentis; sicut nos cognoscimus naturalia; quandoque vero res cognita, est quidem operabilis per scientiam, non tamen consideratur ut est operabilis; res enim per operationem in esse producit (1).

Pergit S. Doctor declarare, quid sit res cognoscere operabili modo: Sunt quædam, quæ possunt separari secundum intellectum, quæ non sunt separabilia secundum esse. Quando autem consideratur res per intellectum operabilis distinguendo ab invicem ea, quæ secundum esse distingui non possunt, non est practica cognitio nec actu nec habitu, sed speculativa tantum; sicut si artifex consideret domum investigando passiones ejus, genus et differentias et hujusmodi, quæ secundum esse indistincte inveniuntur in re ipsa. Sed tunc consideratur res ut est operabilis, quando in ipsa considerantur omnia, quæ ad ejus esse requiruntur simul (2).

Tripliciter
scientia practica
esse potest.

Hinc facile intelligitur ex doctrina Aquinatis, triplicem esse modum, quo scientia potest esse practica vel speculativa; 1.^o ex parte rerum scitarum, prout sunt vel non sunt operabiles ab ipso sciente; 2.^o ex parte modi, prout objectum in se quidem operabile respicit, sed non respiciat operabili modo; 3.^o ratione finis prout ordinetur vel non ordinetur ad finem operationis (3).

Tertium,
discrimen, ex
modo tendendi
in objectum:

γ) Tertio sequitur aliud discrimen: nam cognitio practica tendit in objectum modo compositivo, qui est utilis ad

- (1) S. Thom., de Veritate, q. 3, a. 3. corp.
- (2) S. Thom., ibid.
- (3) S. Thom., 1 p. q. 14, a. 16.

actualem operationem, utpote quæ docet operari, vel inducendo formam materiæ, vel partes in unum componendo, vel dando existentiam essentiae. At vero speculativa e contrario tendit in objectum per modum analysis ac resolutionis, seorsim contemplanda universalia predicata rei ac principia formalia, partesque et proprietates, quæ in re separatæ esse nequeunt (1).

δ) Quarta speculativa scientia res contemplatur ex earum principiis, relegendo et considerando quid in seipsis sint, at practica considerat easdem quasi ponens in seipsa, principium illarum, quandoquidem ipsa dirigit ac regulare debet modum, secundum quem fiant (2).

quartum,
ex diversa habi-
tudine, qua se
habet
cognitio respectu
objecti

In idem recidit, quod aliis cribunt, speculativam et practicam diversimode comparari ad suum objectum, nam speculativa respicit illud ut mensuram sui, cui se conformando vera dicitur; practica vero respicit objectum ut mensuratum a se (3).

ε) Denique scientia speculativa versatur potissimum circa universalia; practica vero circa particularia, quia licet versetur etiam circa universalia, sed semper est cum ordine ad singularia, quia tendit ad operationem, quæ non potest terminari nisi ad singularia. Hinc etiam speculativa est maxime de æternis ac necessariis, quod si attingit etiam corruptibilia, ea plane abstrahit, et quasi perpetue considerat: at practica est de contingentibus, quia respicit singularia particularesque circumstantias eorum, quæ facile mutabiles sunt (4).

quintum,
ex diversitate
objecti quod
contemplatur.

255. Nunc restat, ut videamus, quænam operatio veniat nomine *praxis*, unde scientia *practica* nomen habet. Nempe hactenus docuimus scientiam practicam esse illam, cujus finis est opus vel operatio seu *praxis*. Quæritur ergo, quænam actio veniat nomine *praxis*, utrum quævis operatio sive immanens sive transiens, an vero solæ operationes aliarum potentialiarum ab ipso intellectu distinctarum.

Quid sit *praxis*.

(1) Cfr. S. Thom., 1 p. q. 14, a. 16; Sot., *Logic.*, quæst. 4. *proxim.*

(2) Cfr. Suarez, de *Anim.*, lib. 4, cap. 9, n. 2.

(3) Cfr. P. de Benedictis, *Philos. Periip.*, vol. 1, quæst. *procem.* cap. 4, paragr. 1.

(4) Vide Suar., loc. cit.

In quo
conveniunt
auctores.

In qua controversia in primis ut certa ab incertis secernameus, conveniunt auctores nomine *praxis*, intelligendas esse actiones dumtaxat intellectualis naturæ, easque tales, quæ dirigibiles aliquo modo sint. Quare neque actiones brutorum, nec entium inanimatorum sunt praxes, neque etiam actiones naturales hominis, qualis est v. g. *vegetatio* et reliquæ a voluntatis imperio independentes, omnes siquidem istiusmodi actiones dirigi ac regulari nequeunt. At hisce seclusis, remanent tria alia genera actionum, actus nempe intellectus, actus voluntatis, et actus externi membrorum corporeorum in homine.

Sententia Scoti.

Qua de re censet Scotus, actiones intellectus non posse esse praxim, sed solum actiones aut voluntatis aut aliarum potentiarum corporearum. Quare etiam a Scoto definitur *praxis*: *actus alterius potentie ab intellectu, naturaliter posterior intellectione, natus elici conformiter rationi recte ad hoc, ut sit rectus* (1). Hanc Magistri sui sententiam sequuntur Scotistæ (2), ac plures Thomistæ, inter quos numerandus est Card. Aguirre (3); favet etiam Angelicus sic scribens: *Practicum vel operativum, quod dividitur contra speculativum, sumitur ab opere exteriori, ad quod non habet ordinem habitus speculativus, sed solum ad interius opus intellectus, quod est speculativum verum* (4). «Ubi D. Thomas cum de opere exteriori loquitur non intelligit solas actiones transeuntes, sed omnes actus alterius potentie ab intellectu; agit enim de opere interiori et exteriori comparationi ipsius intellectus» (5). Et idem docet e nostris P. Cosmus Alamannus (6).

Quorundam
limitatio.

Quidam vero Thomistæ, ut Capreolus (7), Soncinas (8), Javellus (9), Complutenses Carmelitani (10), alique limitant

- (1) *In Prologo Sententiar.*, quæst. 4.
- (2) Apud Mastrium., *Logic.*, disp. 12, quæst. 5, art. 1, n. 99.
- (3) *Disput. selectæ in Logic.*, tract. 1, disp. 5, sect. 1.
- (4) S. Thom., 1. 2, q. 57, art. 1.
- (5) Suarez, disp. *Metaph.*, 44, sect. 13, n. 21.
- (6) *Summ. Philos.*, prim. part. quæst. 1, art. 4.
- (7) Quæst. 2, *Prolog.*
- (8) *Metaphys.*, lib. 6, quæst. 2.
- (9) Lib. 6 *Metaph.*, quæst. 4.
- (10) *Logic.*, disp., 1 *proem.* quæst. 6.

hanc doctrinam quadantenus, dicentes etiam actus intellectuales posse esse praxim, dummodo sint liberi et imperati a voluntate, vel aliter praxim esse actus voluntatis sive elicitos sive imperatos. Quam limitationem notat Suarezius (1) non negaturum forte fuisse Scotum, et revera eandem arrisisse nonnullis Scotistis testantur Mastrius (2) et Pontius (3), qui etiam illam amplectuntur (4).

At pro opposita sententia citantur Nominales, Gregorius, Aureolus, Gabriel et Ocham (5). Et eadem opinio tribuitur etiam Doctori Eximio (6), et Petro Fonseca (7), Conimbriensibus (8), Rubio (9), De Benedictis (10), Semery (11), Benedicto Pererio (12), Molina (13), Vazquez (14), Francisco Soarez Lusitano (15), Georgio Rhodos (16), Antonio Mayr (17), Lossada (18), Arriaga (19), Hurtado (20), Bernaldo Quiros (21) aliisque. Et idem videtur sequi etiam Cosmas de Lerma (22).

Verum notat Suarezius (23). Nominales, qui pro hac secunda sententia adducti sunt, in eodem sensu locutos esse

Aliorum
sententia.

- (1) *Metaphys.*, disp. 44, sect. 17, n. 23.
- (2) *Logic.*, disp. 12, q. 5, art. 1, n. 99.
- (3) *Logic.*, disp. 2, q. 8, n. 80.
- (4) Mastrius., loc. cit., n. 101; et Pontius, loc. cit.
- (5) Apud Suarez, *Metaph.*, disp. 44, sect. 13, n. 25.
- (6) Loc. nup. cit.
- (7) *Metaphys.*, lib. 2, cap. 3, quæst. 2, sect. 3. Cfr. lib. 6, cap. 1, q. 5, sect. 2.
- (8) *Logic.*, *Proem.*, q. 4, a. 5; *Tertio, Scientia Moralit.*
- (9) *Logic.*, quæst. 5, *proem.*
- (10) *Logic.*, quæst. *proem.*, cap. 4, paragr. 1.
- (11) *Trienn. Philosop.*, tom. 1, disp. 1, q. 5, a. 1.
- (12) *De Comm. omn. rer.*, etc., lib. 1, cap. 2.
- (13) In 1, part. q. 1. a. 4.
- (14) In 1.^a part., disp. 8.
- (15) *Log.*, Tract. 1.^o, *proem.*, disp. 1, sect. 1, n. 4 seqq. et n. 10.
- (16) *Philosoph. Perip.*, lib. 1, disp. 1, q. 2, sect. 3; lib. 4, disp. 2, q. 1, sect. 3, lib. 4; disp. 2, q. 1, sect. 3, paragr. 2.
- (17) *Philos. peripat.*, part. 1, disp. 1, q. 1, a. 6.
- (18) *Logic.*, tract. 1, disp. 1, cap. 9, n. 8, 16.
- (19) *Logic.*, disp. 1, sect. 4.
- (20) *Logic.*, disp. 1, sect. 12; *de Anim.*, disp. 11.
- (21) *Curs. Philos.*, tract. 2, part. 1.^a, disp. 13, sect. 1.
- (22) *Logic.*, lib. 1, quæst. 8.
- (23) Suarez, disp. *Metaph.*, 44, sect. 13, n. 25.

ac Capreolum: nempe volunt quidem actus intellectus posse dici et esse praxim, at non actus intellectus nude spectatos, sed prout voluntati subjectos, et quatenus cadunt sub imperium et electionem voluntatis, eo enim modo dirigibiles sunt per normam ac regulam intellectus alii actus posteriores. Et in eodem sensu hanc sententiam tuentur ipse Suarez aliique plures e Nostris nuper laudati, quemadmodum ipsimet diserte animadvertunt.

Disensio
est magis de
voce inter
predictas
sententias.

Quæ cum ita sint jure merito scripsit Suarez inter predictas opiniones «dissensionem esse magis de nominum significatione, quam de re: quia in re constat actum intellectus posse subesse directioni et regulis artis, et voluntarie ita fieri potius, quam alio modo; quæ conditiones sufficiunt in actibus aliarum potentialiarum (etiam ex mente Scotistarum Thomistarumque), ut sint praxis. Ergo an actus intellectus ita sit appellandus necne, tantum potest pertinere ad usum vel significationem vocum» (1).

Ultima
tamen sententia
probabilior
videtur.

256. **Mihi quoque placet hæc secunda sententia, sive res sive nomen spectetur.**

Et primo quidem, si res spectetur. Nam si actus voluntatis potest esse praxis, quia elici potest ex directione cognitionis, quæ ostendat, quomodo exerceri valeat debeatque; cur actus intellectus non possit esse praxis, quandoquidem et ipse elici potest ex directione præviæ cognitionis præscriptis modum, secundum quem apte construatur? Quænam, queso, causa afferri potest disparitatis, ob quam ratio nomenque praxis ad actus alterius potentiae ab intellectu restringatur? Nam praxis certe, consentientibus communissime Philosophis, est actus vel operatio ex regula posita. Atqui actus intellectus est operatio, quæ ad normam regulæ alicujus elici potest. Ergo donec solida aliqua ratio afferatur, dicere quod actus intellectus non potest esse praxis, quia praxis debet esse actus alterius potentia, non est nisi mera petitio principii (2).

(1) Suarez, *Metaphys.*, disp. 44, sect. 13, n. 26. Cfr. *de Anim.*, lib. 4, c. 9, n. 8.

(2) Vide Suarez, disp. 44, *Metaph.*, loc. cit. n. 24. Cfr. Lossada, loc. cit. c. 9, n. 16.

Et confirmatur. Nam actus cognitionis dirigens ac regulans actus subsequentes intellectus, «non est speculativus omnino, quia neque est propter seipsum tantum, sed propter dirigendos alios actus intellectus; neque est propter solam cognitionem veritatis, sed propter directionem alicujus potentiae in operando.» Ergo actus illi intellectus regulati ac directi per præcedentem cognitionem ejusdem intellectus, sunt vere praxis; ac proinde non est de ratione praxis, quod sit actus alterius potentiae ab intellectu. Nam «unus actus intellectus regulans et dirigens alium, practice comparatur (seu practice se habet) ad illum: ergo e converso actus regulatus et directus comparatur ut praxis ad alium» (1).

Præterea «actus elicitus ex directione prudentiæ est praxis etiam juxta adversarios. Ergo quoties prudentia dicitur studium Metaphysicæ vel actum credendi mysteriis revelatis, actus intellectus erunt praxes.»

«Dicunt, eos actus esse praxes, prout a voluntate imperatos. Fateor; sed licet tunc formalis ratio imputabilitatis ac meriti, consistat præcipue vel unice in actu voluntatis, tamen ratio praxeos consistit etiam in actu imperato; tum quia hic actus expresse dicitur a prudentia, et expresse cadit sub præceptum credendi vel studendi, quod præceptum non est reductum ad praxim, donec actus ipse intellectus exerceatur; tum etiam paritate actus externi, v. g. largitionis eleemosynæ, qui actus licet meritorius evadat ab actu voluntatis, se ipso est praxis prudentiæ et regulæ charitatis. Jam ergo actus intellectus in semetipso participat rationem praxeos» (2). Et hinc patet etiam

Idem dicendum esse de modo loquendi. Nam cum nulla sufficiens ratio reddatur, ob quam actus intellectus directus ac regulatus ex imperio voluntatis ab alio actu intellectus non possit esse ac dici praxis, existimo melius sentiendum loquendumque esse cum fautoribus secundæ opinionis.

257. **Dices 1.^o cum Scoto:** Intellectus, ut desumitur ex Aristotele (3) extensione fit practicus; vel ut scribit Angelicus,

(1) Suarez, ib. n. 24.

(2) Lossada, loc. cit. n. 17. Cfr. Quiros qui fuse de his, loc. cit.

(3) 3.^o de *Anim.*, text. 49.

sola extensio ad opus facit aliquem intellectum esse practicum (1). Atqui non habetur extensio intellectus hujusmodi, nisi se extendat ad actus aliarum potentiarum. Ergo...

Resp. neg. Minor., quia intellectus dirigens ac regulans se extendit ad *actum regulatum*; secus atque accidit in speculativa cognitione, quæ mere sistit in contemplanda veritate aliqua, nec præscribit regulas pro directione aliorum actuum.

Dices 2.^o Omnis actus intellectus est speculatio quædam. Atqui speculatio certe non est praxis, opponuntur enim hæc inter se.

Resp. dist. Major., omnis actus intellectus est speculatio quædam, id est, omnis actus intellectus est contemplatio veritatis vel repræsentatio alicujus objecti, *conc.*, id est, omnis actus intellectus est pura contemplatio veritatis vel repræsentatio sui objecti *neg.*, secus enim nulla daretur cognitio practica. Itaque dantur cognitiones, quæ præterquam quod veritatem aliquam contemplantur, dirigunt etiam aliquam operationem; et talis est omnis cognitio practica. Ideoque major illa propositio, nisi sub hac distinctione intelligatur, ipsam divisionem cognitionis in practicam et speculativam pessumdat. Sed veniamus ad minorem objecti syllogismi.

Disting. pariter Minor. Speculatio certe non est praxis respectu unius ejusdemque *conc.*, respectu diversorum *neg.* Quid enim vetat actum intellectus, qui sit speculatio respectu sui objecti ac veritatis, quam contemplatur, rationem habere praxis respectu alterius actus ejusdem intellectus, per quem regulatus ac directus fuit? Nam si actus voluntatis aut alterius potentie, non ob aliud, nisi quia dirigitur ac regulatur, ut recte exerceatur, praxis est, fatentibus adversariis; cur non erit praxis actus intellectus, si ab alio præcedenti normam accipiat, ut apte ponatur?

Itaque non possum non mirari, quod gravissimus vir, Dominicus Sotus, qui præcedentem Scoti rationem inanem putaverat (2), hanc alteram magis esse commendandam putaverit, ex eaque probari, quod Logica non sit scientia

(1) S. Thom., *de Veritate*, q. 14 art. 4.

(2) *Logic.*, quest. 4. *proæm.*, paragr. tertio, *Tandem notandum.*

practica, sed speculativa, propterea quod opera quæ dirigit, nempe actus intellectus, sunt *speculationes* (1).

Dices 3.^o S. Thomas ita scribit: *Operativum* (seu practicum) quod dividitur contra *speculativum*, sumitur ab opere exteriori (2). Atqui operatio intellectus non est opus exterius. Ergo...

Resp. «D. Thomas nomine operis exterioris intelligit opus quodlibet ex electione voluntatis fieri potens, ut exponit Thomistarum princeps Capreolus (3), patetque in actu fidei, dum est praxis prudentiæ. Hoc autem sensu etiam actus intellectus, a Logica regulatus, est opus exterius. Ergo...

Vel si mavis dic cum Magistro Sanchez ex Sacro Prædicatorum ordine, S. Thomam non loqui hic de omni practico vere tali, sed de solo practico mechanico (5).

Quæ cum ita sint, patet, quid dicendum sit de prima particula scoticæ definitionis, qua praxis dicitur *actus alterius potentie ab intellectu.*

«Alie particule definitionis ab Scoto positæ, vel non omnes necessariae sunt, vel juxta ea, quæ hactenus diximus, sunt interpretandæ. Quod enim ait *praxim debere esse actum naturaliter posteriorem intellectione*, simpliciter verum est de omni praxi, quæ est extra intellectum, nam de ratione praxis est, quod sit actus regulabilis per intellectum practicum; et ideo praxis ut sic natura sua supponit intellectionem illam, quæ est ejus regula. At vero si aliquis actus intellectus est praxis, non oportet, ut sit posterior quacumque intellectione vel sub quacumque ratione, sed cum proportionem, scilicet quod quatenus est actus artificiose factus, sit posterior ea intellectione, per quam applicatur regula talis artificis» (6).

«Denique quod ultimo loco Scotus ait, *praxim debere esse actum conformem rationi rectæ*, primum non simpliciter convenit omni praxi, sed praxi bonæ, nam etiam mala operatio

(1) Sotus *ibid.* paulo inferius, paragr., *Ad questionem ergo.*

(2) S. Thom. 1. 2. q. 57. a. 1.

(3) *Prolog.*, quest. 2. concl. 4.

(4) Lössada, *loc. cit.* cap. 10 n. 10.

(5) Apud Lössada, *loc. nup. cit.*

(6) Suarez., *Metaphys.*, disp. 44. sect. 13. n. 27.

est praxis mala. (1) Et re quidem vera duplex rectitudo considerari potest in praxi, una moralis, quæ solet dici rectitudo in usu, aliam generali nomine possumus appellare artificialem, quæ dici etiam solet quoad facultatem operandi: quæ duæ rectitudines et divissim et conjunctim possunt reperiri in praxi. Nam si quis optime depingat, non tamen recta intentione, erit praxis recta artificiose, non moraliter; et e converso, si bona intentione et prudenter depingat, et non juxta regulas artis, erit praxis moraliter recta, non tamen artificiose; si vero utrumque habeat, erit utroque modo recta. Praxis ergo abstrahit ab utraque rectitudine. Et præterea si generaliter loquamur, abstrahit etiam a rectitudine; datur enim praxis vitiosa duplici modo opposito prædictæ duplici rectitudinis» (2).

Vera
definitio
praxis.

258. Itaque vera notio praxis hæc est, ut sit *actus in nostra constitutus potestate, quatenus dirigibilis aut regulabilis per humanam rationem* (3). Hinc practicum est illud, quod praxim continet, vel servit praxi. Atque adeo notitia practica est illa, quæ dirigit vel regulat operationem seu praxim. Et quia nullus actus proprie seipsum dirigit, sed aliud, scientia vel cognitio practica distinguitur a praxi, quam dirigit.

Duplex
practicum, seu
praxis, morale
et artificiale.

Cæterum practicum, sicut et praxis, ut nuper notabamus ex Doctore Eximio, duplex est, alterum morale, alterum artificiale. Practicum morale respicit rectitudinem morum, quatenus actio exerceatur secundum regulas honestatis: hoc pacto est practica prudentia, cujus proprium est dicere, quomodo hic et nunc honeste fiant actiones. Practicum vero artificiale regulat rectitudinem artefactorum, ut fiant secundum regulas artis: quo modo practica est v. g. ars pictoria. «Utrumque practicum, ut in actu secundo perveniat ad opus sive ad praxim, requirit actum voluntatis; sed aliter et aliter. Nam practicum morale requirit actum voluntatis vel tamquam praxim unicam (quia nempe praxis in eo casu est ipse actus voluntatis) vel tamquam formam praxeos prout mo-

(1) Vide Aristotelem, lib. 6. *Ethicor.* cap. 2.

(2) Suarez, loc. cit. n. 27. Cfr. Sot. loc. cit.

(3) Vide Lossada, loc. cit. cap. 9, n. 8. Cfr. Suarez, disp. *Met.* 44, sect. 33, n. 28.

raliter rectæ sive honestæ;» cum enim prudentia dictat v. g. nunc loquendum esse, locutio hujusmodi «prout est praxis recta moraliter, constituitur ab actu voluntatis ut a forma. Et hoc sensu docuit Scotus praxim formaliter et primario consistere in opere immediate libero seu voluntario. At practicum artificiale solum postulat actum voluntatis tanquam puram conditionem ad applicationem potentiæ executivæ: neque enim domus v. g. prout est praxis artificiosa, constituitur per actum voluntatis» (1).

Duplicis
generis praxis,
actio et factio:

Illud denique notandum est *praxim* seu *operationem*, quam scientia practica dirigit, duplicis generis esse posse, alteram, quam vocat Aristoteles *actionem* (πράξιν), alteram, quam nominat *factionem* (ποίησιν). Quamvis enim sæpe *actio* generatim significet quamlibet operationem, interdum tamen a Philosopho contraponitur factioni (2).

discrimen inter
utramque.

Harum porro operationum discrimen ipse Philosophus assignat, quamvis varie illud possit exponi. Primo enim ita distinguit, ut actio videatur dici actus prout moraliter regulabilis, factio vero actus ut artificiose regulabilis. «Quem sensum indicat Aristoteles 6.^o *Metaphysicorum* (3), ubi distinguens scientiam practicam in *activam* et *factivam*, ait, idem esse *agibile* quod *eligibile*. Et juxta hanc interpretationem idem actus poterit esse factio sub una ratione, et actio sub alia; inter habitus vero *ars* erit factiva, *prudentia* vero activa.»

«Secunda expositio est ut *per actionem* intelligat Aristoteles actus immanentes, *per factionem* vero transeuntes» (4).

«Tertia expositio est, ut *actio* dicatur illa, quæ non est propter aliquod opus efficiendum, quod maneat et persevere- ret post actionem; *factio* vero sit, quæ relinquit aliquod opus

(1) Lossada, loc. cit. n. 6.

(2) Vide Aristot., *Metaph.*, lib. 9, cap. 9. Cfr. *ibid.*; S. Thom., lect. 8, lib. 9; Arist., *Metaph.*, lib. 6, cap. 1. Cfr. *ibid.*; S. Thom., lib. 6, lect. 1; Arist., lib. 1: *Magnor. Moral.*, lib. 1, cap. ult. et *Ethicor.*, lib. 6, cap. 5. Cfr. S. Thom., lib. 6, *Ethicor.*, lect. 3.

(3) Cap. 1. Cfr. *ibid.*; S. Thom., lect. 1.

(4) Vide Aristot., lib. 6, *Metaph.*, cap. 1, lib. 9, cap. 8. Cfr. S. Thom., lib. 6, lect. 1.^a; et lib. 9, lect. 8; et 1. 2., quest. 57, art. 4.

factum et permanens» (1) *Eorum quæ fiunt, quæque aguntur, non est communis quædam facultas, tam ad faciendum, quam ad agendum apta. Facultati enim ad faciendum idoneæ alius est præter effectiorem finis, ut in ædificandi arte, cujus est domos ædificare, præter effectiorem finis ei est propositus, domus. Idem est in arte fabrili et reliquis omnibus, quæ pertinent ad faciendum aliquod opus. At in iis artibus, quæ ad res agendas pertinent, præter actionem nullus est alius finis, ut præter cibariæ modulationem finis non est alius, sed idipsum pro fine est, operatio atque actio* (2).

Quibus similia scripsit S. Thomas: *Duplex est operatio, ut dicitur in 9.^o Metaphysicor.: una quæ manet in ipso operante, sicut videre, velle, et intelligere et huiusmodi operatio proprie dicitur actio. Alia autem operatio transiens in exteriorem materiam, quæ proprie dicitur factio. Quandoque enim aliquis exteriorem materiam assumit solum ad usum, sicut equum ad equitandum et cibariam ad cibariandum; quandoque autem assumunt materiam exteriorem, ut mutant eam in aliquam formam, sicut cum artifex facit domum aut tectum. Prima igitur et secunda operationum non habent aliquod operativum, quod sit finis, sed utraque earum est finis, prima autem nobilior quam secunda in quantum manet in ipso operante. Tertia vero operatio est sicut generatio quædam, cujus finis est res generata. Et ideo in operationibus tertii generis ipsa opera sunt fines* (3).

«Unde iuxta hanc tertiam expositionem, sub actione comprehenduntur omnes actus immanentes regulabiles per rationem et præterea aliqui transeunt, quia omnis actio immanens nihil operatum ex se relinquit, transiens vero non omnis (ut v. g. citharizare) sed aliqua» (4). «Atque hæc tertia expositio maxime videtur intenta ab Aristotele, quamquam quia inter actiones præcipuæ sunt immanentes, et in

(1) Suarez, disp. 44, *Metaph.*, sect. 13, n. 29.

(2) Aristot., lib. 1.^o, *Magnor Moral*, cap. 33, apud Sylvestr.; Mauri cuius vide *Paraphrasi* in eundem locum.

(3) S. Thom., lib. 1.^o *Ethicor.*, lect. 1, paragr. c. Cfr. Arist., *Ethicor.*, lib. 6, cap. 4; S. Thom., ibid. lect. 4, paragr. f; lib. 1.^o *Metaphys.*, lect. 1; Opuscul. de *Trinit. super Boëtium*, quest. 5, art. 1, ad 4.^{um}; 1. 2, quest. 57, art. 3.

(4) Suarez, Disp. *Metaph.* 44, sect. 13, n. 29.

eis rectitudo moralis præcipuum locum habet, ideo interdum solet actionem et agibile in actionibus immanentibus et in ordine ad prudentiam et bonitatem et malitiam explicare, ut videre licet in locis citatis. Quidquid vero sit de hac distinctione actionis et factionis, quod ad præsens spectat, utraque comprehenditur sub nomine praxis, quia utraque est actio humana, voluntaria et regulabilis per rationem» (1).

§ II.—NOTIO ARTIS.

259. Triplici acceptione reperio nomen artis usurpari ab auctoribus: α) latissime pro quacumque scientia et habitu intellectus, sive speculativo, sive pratico. Hoc sensu vocem illam adhibuit Aristoteles non uno in loco (2) aliisque Philosphis (3); β) minus late pro solis scientiis et habitibus practicis (4); γ) strictissime pro solo habitu et cognitione practica ac directiva operis exterioris transeuntis in externam materiam. Ita sæpe Aristoteles (5) et S. Thomas (6). Quæritur ergo in quam ex his tribus acceptionibus sumatur hic ars. Et videtur sumi non posse in prima acceptione, quandoquidem acceptio illa tam late patet, quam ipsa scientiæ; non quidem in latissima scientiæ significatione, sed in stricta quam exposuimus in præcedenti articulo, eam definientes cognitionem certam et evidentem rei demonstratione comparatam. Quæstio itaque tantum esse potest de aliis duabus acceptionibus.

Multi censent nomine artis, prout a scientia distinguitur, intelligi proprie dumtaxat cognitionem practicam directivam operationis transeuntis in externam materiam, quæque proinde versetur circa rem, non *agibilem*, sed *factibilem*, vel

Triplex
artis acceptio.

In quam
acceptione hic
sumatur.

Multorum
hac in
re scientia.

(1) Suarez, disp. *Metaphys.* 44, sect. 13, n. 30.

(2) Vide libr. 1.^o *Poster.*, cap. 1, lib. 1; *Metaphys.*, cap. 1.

(3) Vide S. Thom., lib. 1.^o *Metaphys.* sect. 1.^o; 2. 2. quest. 47, art. 2; Opusc. de *Trinit. super. Boët.*, quest. 5, art. 1, ad 3.^{um}; 1. 2, quest. 57, art. 3.

(4) Vide Aristot., lib. 1.^o *Ethicor.*, cap. 1; S. Thom., ibid. sect. 1; Opusc. de *Trinit. super. Boët.*, quest. 5, a. 1, ad 4.^{um}; 1. 2. quest. 57, art. 3.

(5) Vide lib. 6, *Metaphys.*, cap. 1; *Ethicor.*, lib. 6.^o, cap. 3.^o; lib. 1.^o *Magnor. Moral.*, cap. ultim.

(6) Opusc. de *Trinit. sup. Boëtium*, quest. 5, art. 3 et 4.

cognitionem practicam directivam non *actionis*, sed *factio- nis*. Nam *facere* et *factio* solum convenit operationibus transeun- tibus, ex quibus remanet opus factum, ut est v. g. actus ædificandi; at *agere* et *actio* comprehendit operationes inter- nas, et eas etiam ex externis, quæ nullum post se opus relinquunt, ut est *citbarizatio* v. g. vel *sallatio*, secundum ea quæ superius docuimus de significatione vocum *factio* et *factibile* in oppositione ad voces *actio* et *agibile*. Unde definiri solet ars cum Aristotele, *habitus vera cum ratione factivus* (1): vel cum S. Thoma, *recta ratio aliquorum operum faciendo- rum* (2): vel cum Cicerone, *Ars est præceptio, quæ dat certam viam rationemque faciendi* (3). Hæc videtur esse sententia S. Thomæ in locis superius citatis pro tertia acceptione *artis*, qui etiam animadvertit *artes liberales* ita vocatas esse, per quamdam similitudinem cum artibus mechanicis, quia nempe etiam in illis inest aliquid per modum cuiusdam operis, puta *constructio syllogismi* (in Logica) *aut orationis congruæ* (in Rhetorica) *aut opus numerandi* (in Arithmetica) *vel mensu- randi*, (in Geometria) (4). Et idem sentit Dominicus Sotus (5) et P. Georgius Rhodes (6).

Alii vero existimant non tam stricte sumendam esse artem, sed paulo fusius, quatenus comprehendat etiam *actiones* immanentes atque internas, et sic generatim defini- niunt artem, *collectionem multarum de una re comprehensionum ad finem aliquem utilem vitæ*: quam definitionem non parum apud antiquos celebrem fuisse testantur Conimbricenses (7). Cui similis est definitio illa S. Thomæ, secundum quam *nilil aliud ars esse videtur, quam certa ordinatio rationis, qua per determinata mediâ ad debitum finem actus humani perve-*

quomodo
hi definiunt
artem.

Aliarum
sententia;

horum defini-
tio artis.

- (1) Aristot., lib. 6, *Ethicor.*, cap. 3.
- (2) S. Thom., 1. 2. q. 57, a. 3. Cfr. ib. a. 4; 2. 2. q. 47, a. 2, ad tertium.
- (3) Cicero ad *Herennium*, lib. 1.
- (4) S. Thom., 1. 2. q. 57, a. 3, ad 3.^{um} Cfr. 2. 2. quæst. 47, art. 2, ad 3.^{um}; *Opusc. de Trinit. super. Bœt.*, q. 5, a. 1, ad 3.^{um}
- (5) *Logic.*, quæst. 4, *proæm.*, concl. 2, et 3.^a
- (6) *Philosoph. Perip.*, lib. 1, disp. 1, q. 2, sect. 2.
- (7) *Dialect.*, quæst. 1.^a *proæm.*, art. 2, init.

niunt (1). Ita opinantur P. Antonius Mayr (2), P. Lossa- da (3), P. Semery (4), Joannes a S. Thoma (5), Mastrius (6), Valentia (7) et Vazquez (8).

Ratio horum est, quod præter habitus *factivos* operum externorum, quos tantum videtur S. Thomas in citatis su- perius locis nomine *artis* voluisse comprehendere, sunt qui- dam alii activi ac directivi operationum, qui nec sunt scientia veri nominis, ut *Grammaticæ*, *Saltatoriæ*, *Musi- cæ* etc., nec etiam partes prudentiæ, siquidem non sunt directivi actionum moralium, qualis, fatentibus omnibus, debet esse prudentia ejusque partes. Hujusmodi ergo habitus, nisi velimus illis nomen genericum habitus activi tribuere, necesse erit ad artem, sin minus strictissime, saltem minus stricte, proprie tamen sumptam, revocare. Cum potissimum nomine *praxis* seu operis, quod dirigit ars, intelligi possit non solum opus externum, post actionem aliquam remanens, verum etiam ipsi actus interiores mentis nostræ, quemadmo- dum superius notavimus circa scientiam practicam.

Secundum hæc ergo sententiam nomine *artis* venit *habi- tus directivus operationum non moralium, seu collectio præce- ptorum ad opus aliquod apte et scite perficiendum*. Ex qua defi- nitione colliguntur tria, quæ ad artem necessaria sunt: a) objectum *artis* esse aliquid *contingens*, nempe tale, quod non uno modo fieri possit, eo nempe modo, quem ars præcipit, secus enim si res necessario fit certo aliquo modo, cur opus est præceptis ad illam apte sciteque faciendam? Quia ergo res et apte et imperite fieri potest, et in hoc contin- gentiam quamdam habet, ars efficit, ut scite recteque fiat. ß) Rectitudo hæc, quam ars importat, non est rectitudo moralis, per quam nempe actio sit in genere morum bona,

Quenam
requirantur ad
artem
in hac altera
sententia.

- (1) S. Thom., lib. 1. *Poster. Analyticor.*, lect. 1, paulo post init.
- (2) *Philos. Perip.*, part. 1. disp. 1. q. 1, a. 3, n. 212.
- (3) *Logic.*, tract. 1.^o *proæm.*, disp. 1, cap. 8, n. 3, 4.
- (4) *Trienn. philos.*, t. 1. disp. 1. q. 4, a. 1, fin., et a. 2 et 3.
- (5) *Logic.*, 2.^a pars, q. 1, a. 2.
- (6) *Logic.*, quæst. *proæm.*, art. 4, n. 42.
- (7) *Comment. in D. Thom.*, tom. 2, disp. 5, quæst. 3, punct. 2, paulo post initium.
- (8) In 1. 2. disp. 85.

sed physica, per quam opus affabre efficitur. Quare bene fieri potest, opus artificiosissime factum esse vitiosum in genere morum, et e converso. γ) Ars non exigit demonstrationes, quibus præcepta ejus assertionesve probentur, secus atque scientia, utpote quæ est cognitio per demonstrationem comparata. At ars contenta est experientia vel inductione vel auctoritate, quibus fere inniti solent artifices, ut vel ipsi sequantur vel discipulis sequenda præscribant artis præcepta. «Quod si quis artifex per demonstrationem probaret, ut posset, regulas artis nauticæ vel militaris v. g., ea tunc simul esset scientia. Sic Rhetorica, prout communiter traditur, non est scientia; et tamen scientia censetur, prout ab Aristotele tradita est» (1), Quæ omnia in allata definitione continentur.

Discrimen
artis a scientia

Hinc facile est assignare discrimen artis a scientia et prudentia. Et primo quidem differt a scientia objecto: nam scientiæ objectum est necessarium, seu quod aliter se habere nequit; at objectum artis est contingens, quemadmodum expositum est; in quo ars convenit cum prudentia (2). Adde, quod scientia demonstrationem requirit, minime vero ars: itemque scientia in suo conceptu generali præscindit ab hoc, quod sit speculativa vel practica, unde mox dividi solet in speculativam et practicam, at ars essentialiter practica est (3).

et prudentia.

A prudentia vero distinguitur, quia prudentia sectatur rectitudinem ac bonum morale ipsius operantis, ars vero rectitudinem ac bonum physicum ipsius operis artificiose effecti. *Et ideo ad prudentiam, quæ est recta ratio agibilium, inquit Angelicus, requiritur quod, homo sit bene dispositus circa fines* (siquidem ex fine dependet rectitudo moralis subjecti): *quod quidem est per appetitum rectum. Et ideo ad prudentiam requiritur moralis virtus, per quam fit appetitus rectus. Bonum autem artificialium non est bonum appetitus humani, sed ipsorum operum artificialium: et ideo ars non præsupponit appetitum rectum* (4). *Et inde est, quod magis laudatur artifex, qui volens*

(1) Lossada, loc. cit., cap. 8, n. 11.

(2) Vide Aristot., 6.^o *Ethicor.*, cap. 3. Cfr. ib. S. Thom., lect. 3.

(3) Vide alia apud Arist., 6.^o *Ethicor.*, c. 3. fin. Cfr. ibid. S. Thom., lect. 3, *Deinde cum dicit: Neque enim*. Cfr. Tolet., *Dialect.*, q. 4.

(4) S. Thom., 1. 2, q. 57, a. 4. Cfr. ibid. art. 3.

peccat, quam qui peccat nolens; magis autem contra prudentiam est, quod aliquis peccat volens, quam nolens, quia rectitudo voluntatis est de ratione prudentiæ, non autem de ratione artis (1). Id quod jamdiu notaverat Aristoteles (2), ejus doctrinam sic exposuit lucidissime P. Sylvester Mauri: «Tertia proprietas est, ut qui contra prudentiam peccat sponte, pejor sit, quam qui peccat per ignorantiam; e converso in artibus pejor est, qui peccat per ignorantiam, quam qui sponte. Ex. gr. si aliquis comprehendatur, quod peccavit contra Grammaticam, faciendo solæcismum, et se excuset dicens: *Sponte feci*, affert idoneam excusationem; si vero se excuset dicens: *Ignorabam*, affert excusationem plane ineptam. E converso cum quis reprehenditur, quod peccaverit contra prudentiam, si dicit: *Sponte peccavi*, affert excusationem ineptam; et ut afferat excusationem idoneam, debet dicere: *Peccavi per ignorantiam, vel vix sponte propter vehementiam passionis*. Ex quibus patet prudentiam esse virtutem ad modum virtutum moralium, quæ requirunt rectitudinem appetitus, non autem ad modum artium, quæ sunt perfectiones solius rationis» (3).

Alia est differentia, quam sic exposuit idemmet Sylvester Mauri ex Philosopho: «Secunda proprietas est, inquit, quod quia ars potest conservari sine virtute morali, ad hoc ut qui habet artem, sit dispositus potius ad bonum, quam ad malum usum artis, indiget virtute morali: ex gr. orator ad hoc, ut sit dispositus oratoria potius in favorem causæ justæ quam injustæ, indiget justitia; at prudentia cum non possit existere sine virtute morali, seipsa disponit hominem ad bonum usum sui» (4).

Ex his patet, quid differat ars a scientia et prudentia. Si quis autem nosse cupiat, in quo discriminetur ab experientia, Aristoteles rem declarat comparans artem cum experientia, sive quoad operationem, sive quoad cognitionem. Et primo quidem quantum ad actum pertinet, experientia nihil videtur

Discrimen
artis ab
experientia

(1) S. Thom., ib. art. 4.

(2) 6.^o *Ethicor.*, cap. 4.

(3) Sylvest. Mauri, *Paraphras.* in lib. 6 *Ethicor.*, cap. 6. Cfr. S. Thom., 6.^o *Ethicor.*, sect. 4, paulo ante fin.

(4) Mauri, ibid. Cfr. S. Thom., ib., *Deinde cum dicit: Sed tamen*.